Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1429

Quelle:
Copyright:

XII. *fol.* 98. *Bernhardus de disciplina nouiciorum.* Alias Opuſculum: *Ad quid veniſti*, rejectum inter incerta T. *cit. col.* 809. nam et apud *Bonaventuram* legitur edit. *Lugd.* 1668. T. VII. p. 613. inſcriptum *de Inſtitutione Novitiorum*, et inter *Davidis de Auguſta* Opuſcula T. XXV. *Bibl. PP. Lugd.* f. p. 867. titulo *Formulae Novitiorum.* In Exemplo noſtro haec praemittuntur: *Per cottidianam experienciam ſemper melius intelliges, quod quanto quisque altius proficit in virtutis accione, tanto clarius videt, quid adhuc ſibi deeſt, et qualiter ad ea, que reſtant, debeat pervenire. Pſ. A mandatis tuis intellexi. Primo ergo ſemper debes conſiderare* &c. Sic igitur Libellus deinceps decurrit, ſed non uno loco contractior.

XIII. *fol.* 100. Inducuntur VII. ſic dicta *Vitia capitalia*, totidemque *Virtutes* illis obpoſitae verſu naturam ſuam explicantes, ita, ut verſibus ſingulis una ex VII. earum Filiabus ſeu proprietatibus declaretur. Res in exemplo liquebit. *Superbia dicit:*

Cetera dum ſperno, memet tranſcendere quero. — *Ambitio.*
Neſcio parere, niſi iuſſa recuſo tenere. — *Diſcordia.*
Extollor verbis mea magna loquendo ſuperbis. — *Jactantia.*
Quod videor grata, mihi dat virtus ſimulata. — *Ypocriſis.* } *Filie.*
Hec parui reputo, que meliora puto. — *Contentio.*
Me credo tanti, quod ſim par altitonanti. — *Preſumpcio.*
Non male concepta, ſed mutabo bene cepta. — *Pertinacia.*

Sed cum *Virtute* V. quae eſt *Largitas*, obmuteſcit Chorus.

XIV. *Fol.* 108. usque ad finem *Codicis* congeſta ſunt Exercitia Scholaſtica diſputatoria, ſeu Quodlibetica e Logica, Metaphyſica, Phyſica, Matheſi, Aſtronomia et Theologia in Academia *Pragenſi* celebrata, et ſaepe in utramque partem inſtituta, additis frequenter Proponentium Nominibus. Ita occurrit *M. Gregorius de Praga in Quodlibeto M. Huſs. M. Policz. M. Paulus de Praga. M. Huſs*, cujus *Quodlibeti* Quaeſtio principalis fuit: *Vtrum a primo ente intellectiuo et immutabili omnipotenti omniſcienti dependeat optima diſpoſitio vniuerſi. M. Criſtannus* dictus alias *de Prachaticz. M. Steph. Paleez. Sdeniko*, cui *Ducis* titulus in *Codice* praepoſitus videtur. Definunt Exercitia haec, utinam tam utilia, quam acuta in Tractatulos III. *Dialecticos*, quorum primus de *Suppoſitionibus* ſubnotatur: *per manus Blaſij filij Brictij de Roycha Anno domini Milleſimo CCCC^o quindecimo.*

DCXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 189 Folior. 308. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas curſim exaratus, legatusque olim *ad librariam domus collegij ducalis Wienne* a *M. Jodoco*